



Disputatio medica inauguralis de aepsia & bradupepsia

<https://hdl.handle.net/1874/340900>

DISPUTATIO MEDICA
IN AVGVRALIS,
DE
APEPSIA & BRADUPEPSIA,

Q V A M

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnisici D. Rectoris,

D. ISBRANDI DE DIEMERBROECK,

Med. Doct. ac in Inclytâ Academiâ Ultrajectinâ Medicinæ

Practicæ & Anatomes Professoris celeberrimi;

Amplissimi Senatus Academicî Consensu, & Experientissimæ

Facultatis Medice Decreto,

Pro gradu Doctoratus- & privilegiis in Medicina consequendis,

Publicè sine præside defendet

JOANNES EVERARDUS BOCASTIUS, Ultrajectinus,

Ad diem 4. Decembris, hora locoque solitis.



ULTRAJECTI.

Ex Officina, JACOBI à DOEYENBORGH,

ANNO c15. Icc. Lv.

Lectissimo conjunctissimorum inter
se Affinium pari,

Nobilissimo, Amplissimo, Splendidissi-
moque Viro,

D. GUILJELMO vander MEU-
LEN, omnigenæ doctrinæ amato-
ri pariter & cultori, fautori suspici-
endo;

Genere, Eruditione, Morumque integritate
Præstantissimo Viro Juveni,

D. GIDEONI DEUTZ, Philo-
sopho eximio, Juris & Historia-
rum studiosissimo, amico obser-
vando:

Hanc inauguralem disputationem
L. M. Q. D. C. Q.

JOANNES EVERARDUS BOCASTIUS.

DISPUTATIO MEDICA

IN AVGVRALIS.

D E

APEPSIA & BRADUPEPSIA.

T H E S I S I.



Entriculus corporis humani multis
malis afficitur , inter cætera haud
parvi momenti est Apepsia & Bra-
dupepsia seu cruditas, & tarda ac di-
minuta coctio [quæ secundum ma-
gis & minus tantum differunt] de
quibus pauca dicam.

I I.

Est itaque Apepsia & Bradupepsia tale vitium , quo
alimentum præcipue ob intemperiem ventriculi frigi-
dam, ut & aliis de caufis, crudum & non satis exacte
concoctum existit, ita ut corpori alendo inutile ma-
neat.

I I I.

Pars quæ hic primario afficitur est ipse ventriculus,
quod ex sequentibus manifestum est ; ex illis nempe
quæ præcedere potuerunt, ut constitutio corporis fri-
gida, fendentaria vita, ut & ex diutino usu alimento-
rum crudorum & frigidorum, nec non ex ructibus il-
lisque non raro acidis, ex fluctuatione cibi assumpti in
ventriculo, ex eo quod vomitu aliquando crudus &
subacidus egeritur, quod quoque tensio adsit circa os

A 2

ensi

ensi forme, quæ post ructuum emissionem cessat. Reliquæ corporis partes secundario afficiuntur, quod ex corporis cute pallida, & ex urina cruda, alba, non nunquam sine hypostasi, & aliis patet.

I V.

Huic malo principium dare solent diutinus usus alimentorum crudorum, constitutio corporis frigida, quietes nimia, vel etiam motus nimius & intempestivus, cibi sumendi tempus inconveniens, ordo perversus, ejusque nimia quantitas; calore externus nimius, inconvenientes animi affectus, ut & balnea aliaque similia, à quibus vel calor admodum dissipatur vel imminuitur, hincque magna debilitas ventriculo inducitur, ab intemperie frigida quæ ei hac de causa imprimitur, unde primaria ejus actio, scilicet coctio, læditur & debilis fit, eamque ob causam in eo multi crudi, acidi & pituitosi humores generantur, à quibus oritur ructuum emissio, cibi assumpti in ventriculo fluctuatio, vomitus materiæ pituitosæ, frigidæ, & crudæ, & sæpe tensio circa os ensiforme, quæ ructibus emissis rursus cessat.

V.

In quantitate cibi peccatur, cum nimirum illi nimia copia assumuntur.

V I.

In qualitate peccatur, dum cibi assumuntur, qui vel pravissuci sunt, vel non rediguntur facile in chylum bonum.

V I I.

In sumendi tempore peccatur, quando alias cibus sumuntur antequam prior sit concoctus; ut si quis in pran-

prandio bene ederit, & post unam horam iterum copiam assumat. In ordine voluant etiam posse peccari, ut si praemittantur cibi difficilis digestoris, cum facilis digestoris premitti debeant; sed in quibusdam parum refert, cum consuetudo hic multum possit.

V I I I.

Somnus huc etiam multum facit, ut cum tempore consueto somnus non capescitur, vel si illico post sumptum cibum ineatur. Faciunt huc etiam multum studia illico post sumptum cibum praeferim nimis seria, ut & aliae quamplurimae cogitationes.

I X.

Morbus igitur est intemperies ventriculi frigida, à predictis causis inducta, quam omnium primo sequitur coctio læsa, hanc vero pleraque cætera symptomata.

X.

Cognoscitur hoc malum præcipue ex crudis alvi excrementis, ructibus, vomitu, nec non ex tensione circa regionem ventriculi, & os ensiforme, ex fluctuatione cibi in ventriculo, ex acida eructatione, & similibus symptomatibus, quæ in vitiis coctionis accident.

X I.

Malum hoc est periculosum, præcipue cum jam est inveteratum, tum enim difficulter curationem recipit. Est quoque deterius quod à pravi succi cibis originem dicit, quam contra. Hinc etiam periculum incurrit eger cachexiæ totius corporis, unde virium prostratio, hydrops, aliisque pravi affectus procedunt. Curatur quoque facilius coctionis vitium si fiat ab alimentis quovis modo peccantibus, quam si fiat à proprio aliquo ven.

triculi vitio &c: causis enim illis sublatis , & errore in
victu mutato, fere sine multis aliis remediis tolletur
hoc malum, cum proprium ventriculi vitium tam faci-
le tolli nequeat.

X I I.

Curatio itaque quamprimum instituenda, ne per
moram malum in pejus abeat, eaque consistit in causæ
procataretice, antecedentis, & continentis, ac intem-
periei per contraria ablatione.

X I I I.

Poterunt itaque non inutiliter tales pilulae exhiberi.

R. massæ pilular. cochiarum, aurearum, ana. 3ij

a. scammonii gr. vj

adde syr. ros. solut. q.s. F. pilula No. vij.

que exhibeantur mane ad corporis purgationem.

X I V.

Vel. R. pilular. Ruffi 3ij s. f. pilula No. v.

X V.

Poterit etiam talis potio exhiberi.

R. electuar. hierapicra zjj

decocti hordei zjj misce f. haustus purgans.

X V I.

Proderit etiam tale apozema.

R. rad. helen. galang. fænic. ana 3j

herb. absynib. rosmarin. calament. majoran.

hysop. ana m. j.

sem. anisi 3j. vini albi q.s. F. apozema ad te if.

X V I I.

Non negligendum etiam Vomitorium medicamen-
tum.

A

Ut

Ut R. aquæ tepide 3vij cum olei vel butyri 3ij fiat haustus, pro illis, qui facile vomunt.

X V I I I.

Vel R. fol. asari 3ij pīnfoli decocti raphani 3ij exprimatur succus, adde aquæ cinnamomi 3vi misce f. haustus, vomitum fortius movens.

X I X.

Corpore ita purgato, non inutiliter etiam præscribetur tale conditum.

R. specierum diagalanga 3j.

conservæ anthos, melissa.

rad. helen. conditar. zinziberis cond. ana. 3f.

syr. conservationis rad. helenii q. s. misce f. conditū.

X X.

Tandem poterit unguentum tale convenire.

R. unguenti Martiatii, ol. laurini ana 3f.

ol. nuc. moscat. expressi. 3j m. f. Vnguentum,

mane & vesperi ventriculi regioni illinendum.

X X I.

Postea, ventriculum confortantia adhibenda. Plura hic addi possent sed pagina non capit: itaqne cum diæta finem imponam.

X X I I.

In diæta aër sit ad calidum vergens. Cibi sint boni succi, facilis digestionis, & qui ventriculum reliqua- que viscera roborare & calefacere possant; præparati cum aromatibus, roremarino, hyssopo, salvia, calamen- ta, seminibus foeniculi aliisque similibus. Potus sit ce- revisia bene defecata mediocris notæ, ut & vinum; ali quando

quando tamen aliquantulum spiritus vini concedi potest, ut & aquæ vitæ Matthioli. Exercitium sit moderatum. Somnus in neutram partem excedat. Excrementsa arte aut naturâ respondeant. Tristia vitentur, & gaudium admittatur.

C O R O L L A R I A.

1. In hydrophobia, à mortu canis rabidi, venæsecchio ut & purgantia non semper convenient.
2. In Paralysi, febris, cum magno periculo à quibusdam sape acceditur.
3. In Apoplexia initio purgantia exhibere licet, sed vomitoria vix tuto.
4. Male aliqui volunt, oculis semper medicamenta actu frigida adhiberi.
5. An in pica humoris pravo similia; an vero contraria appetantur, est incertum.
6. Cibi crassi, ut & lac, ad calculi generationem faciunt.
7. In dysenteria venæsecchio sape bene instituitur.
8. An sudorifera in paralysi sint exhibenda? Aff.
9. In paroxysmo Epileptico vena male secatur: ast extra eum sape bene; nec vomitoria in eo semper convenient; nec Epileptici semper aqua frigida sunt perfundendi.
10. Virginibus res absurdæ, quas appetunt, sunt dengandæ; gravidis vero quadam concedi possunt.
11. Non est credibile Chameleontem, & Manucodiatam solo aëre per longum tempus nutritos fuisse; ut quidam volunt.
12. Terram ingestam hominis vitam sustentare non est verosimile.
13. In Histerica passione globus ille, qui ascendere sentitur, non est uterus.

F I N I S.